



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Benedicti XIV. ab Anno 1746. usque ad
Annum 1749

Luxemburgi, 1753

XXII. Divisio Territorii Episcopatus Fluminis Januarii in Brasilia, & nova
erectio Episcopatum Mariannensis, & sancti Pauli, necnon Prælaturarum
Gojasiensis, Cujabaensis etiam in Brasilia. 6. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74761](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74761)

Præservantur
Cumulative,
Privative
cuiuslibet jure
competen-
tes.

Publicatio-
nis effectus,
& exemplor-
um aucto-
ritas.

Sanctio.

Dat. Pont.
An. VII. die
9. Octob.
1746.

& singulorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter & expressè, ac latissimè & plenissimè, harum serie derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Per præfentes autem nostras Literas non intendimus cuicumque cumulative, aut private Jurisdictioni, S. R. E. Cardinalibus, nec non Curie Causarum Camera Apostolicæ, aliisque dictæ Urbis Curis, & Tribunalibus, ac Congregationibus, & Judicibus, in vim alicujus Constitutionis Apostolicæ, attributæ & competentis, in aliquo præjudicare.

Ut verò præfentes Literæ, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus & decernimus, easdem præfentes ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ, aliisque locis solitis & consuetis, per aliquem ex Curforibus nostris publicari, & illarum exempla ibidem affixa relinqui: Quæ sic publicatæ & affixæ, omnes & singulos, quos concernunt, in Urbe commorantes, perinde afficiant & ardeant, ac si illorum unicuique personaliter intimatæ & notificatæ fuissent; quodque earundem præsentium Transumptis & exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides in Judicio & extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus originalibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensa.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostræ Definitionis, Declarationis, Divisionis, Ordinationis, Statutorum, Decretorum, & Voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorè in Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVI., 6. Nonas Octobris, Pontificatus Nostri Anno VII.

D. Card. Passioneus;

J. Datarius.

VISA DE CURIA.

J. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Loco ✕ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Publicata die 16. Octobris 1746.

XXII.!

Divisio Territorii Episcopatus Fluminis Januarii in Brasilia, & nova erectio Episcopatum Mariannensis, & Sancti Pauli, nec non Prælaturarum Gojasiensis, Cujabaensis etiam in Brasilia.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Motu proprio &c.

Proœmium.

GANDOR lucis æternæ, & Imago Bonitatis Divinæ Unigenitum Dei Filius Jesus Christus Dominus Noster illuminans mirabiliter de excelso sancto suo usque ad longinquum Orbem terrarum suscitavit in corde Charissimi in Christo Filii Nostri Joannis hoc nomine Quinti Portugallia, & Algarbiorum Regis Illustris spiritum Sapientia, & Intellectus, ad manifestandum Gentibus magnalia supernæ virtutis suæ; ad revelandum sedentibus in umbra mortis, quia ipse est Deus conspexor sæculorum; & ad confortandum habentes mysterium Fidei, illosque dirigendum ad viam salutis ambulantes in lenitate Nominis sui.

Hoc sanè spiritu ductus Joannes Rex præfatus mentis suæ aciem convertit ad partes Americae Dominio suo in temporalibus subiectas, prospiciensque in Provincia Brasiliensi Fluminis Januarii Diocesum, benedicente Domino, per manus evangelizantium Nomen sanctum ejus a primava sui Episcopatus fundatione eò longitudinis protentam, ut à remotioribus illius Locis preces, & querelæ Populorum ad Antistitis auditum, anno nisi transacto, pervenire nequeant; hinc timendum, ne qui fuerunt aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ambulent vigilantes, ut filii lucis, & per bona opera certam suam vocationem, & electionem facientes; sed rursus abalienati sint in confusionem, & facti abominabiles; unde illud Prophetæ inducatur super eos: *Abducti sunt quasi Grex: Affligentur, quia non est eis Pastor, nisi ille, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id, quod fiat, non emutiet:* Nobis propterea per dilectum filium Emanuelelem Pereyra de Sampaio Commendatorem Militiæ Domini nostri Jesu Christi regis Lusitaniæ negociis apud Nos, & Sanctam Sedem Præpositum nuper exponi fecit, quòd, si amplissima Diocesis hujusmodi in unum Fluminis Januarii jam existentem pro uno, & in alium in Sancti Pauli pro alio, ac in reliquum Episcopatus in Marianna Civitatibus dictæ Diocesis, ut infra, erigendos, pro reliquo Episcopis, & Pastoribus: nec non in unam super Gojasiensi pro uno, ac in alteram Prælaturæ similiter, ut infra, erigendas super Cujabaensi territorii ejusdem Diocesis pro altero Prælatis divideretur, qui Populos suæ cura respectivè commissos, vel de potestate tenebrarum eriperent perducetes eos ad coruscantem gratiam luminis sempiterni; vel transcensis Fidei rudimentis erudirent ipsos in operibus justitiæ, ea, quæ sursum sunt, quærendo, & ea, quæ sursum sunt, sapiendo; ex hoc profectò tot incommodis præfatis, tantis animarum periculis, & spirituali eorundem profectui opportunè consultum foret.

Hæc ut percepimus, primùm manus nostras levavimus ad eundem Unigenitum Dei Filium, cujus vices, licet immeriti, gerimus in terris, gratias enixè agentes de tam ferventi præfati Joannis Regis Charissimi Filii Nostri, Filii verè in Christo Charissimi, spiritu sibi cælitus effuso: inde ad Pastora'em sollicitudinem nostram respicientes, votis ejusdem Joannis Regis Catholica pietate dignis Nobis superius expositis propensius, ac celeriter annuimus.

Quare in præmissis, ut præfertur, providere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine ad Omnipotentis Dei laudem, & gloriam, ac gloriose ejus Genitricis Mariæ, totiusque Curie Cælestis honorem, & ipsius Fidei Catholicæ exaltationem dignam Diocesim Fluminis Januarii in quinque partes dividimus.

Ac unam antiquo Episcopatu Fluminis Januarii relinquimus, quæ ab infra scripta Diocesi Sancti Pauli versus Austrum per limites Præfecturarum secularium Fluminis Januarii, & Sancti Pauli usque ad fluvium Paraibam separetur; inde per istummet fluvium usque ad Cataractam majorem, quæ per montes ad campestria Goaitacatum dicta erumpit; a loco verò Cataractæ præfate per summos eorundem montium vertices a Mariannensi Diocesi infra scripta determinata remaneat, donec Archiepiscopatus Sancti Salvatoris territorium attingat, cum quo idem servet confinium dictus Episcopatus Fluminis Januarii, quod hæc tenens habuit.

Ac aliam Episcopatu Sancti Pauli, cujus cum alia Fluminis Januarii usque ad Paraibam supra indicati sunt limites, quæque ex illo fluvio

1746.
Sollicitudo
Regis Portu-
gallia, ut
ejus subditi
in America
Episcopum
vicinum ha-
beant.

Peritio a
dicto Re-
ge Pontifici
facta super
divisione
Episcopatus
Fluminis Ja-
nuarii.

Sensus Pon-
tificis.

Qui Diocesi-
m Fluminis
Januarii in
quinque di-
vidit partes.

Unam anti-
quo Episco-
patu relin-
quit.

Assignat se-
cundam Epi-
scopatu
Sancti Pauli.

usque

usque ad alium magnum, sive Paranaensem nuncupatum a Diocesi Mariannensi infra scripta per terminos inter Praefecturas Sancti Pauli, & Fluminis Januarii, ac Aurifodinarum generaliam constitutos distinguatur; inde per ipsum fluvium magnum, quicumque ditionem Portugalliae Regis interfuit, a Praelatura Gojasiensi, ut infra, erigenda disjungatur.

Tertiam Episcopatum Mariannensi.

Ac aliam Episcopatum Mariannensi, quae ab aliis Episcopatibus Fluminis Januarii, & Sancti Pauli, ut supra, divisa de cetero à Praelatura Gojasiensi, ut infra, erigenda per terminos Praefecturarum saecularium Sancti Pauli, & Aurifodinarum generalium separata remaneat, ac erga praefatum Archiepiscopatum Sancti Salvatoris, & Episcopatum Pernambucensem antiquos praefati Episcopatus Fluminis Januarii limites retineat.

Quartam Praelaturae Gojasiensi.

Ac aliam Praelaturae Gojasiensi, quae a praefatis Episcopatibus Sancti Pauli, & Mariannensi, ut supra, divisa eisdem circumscripta limitibus erga Pernambucensem, Maragnonensem, & Paraensem Episcopatus remaneat, quos nunc habet praefata Diocesis Fluminis Januarii.

Et quintam Praelaturae Cujabaensi.

Ac reliquam praefata Diocesis Fluminis Januarii divisa huiusmodi partes Praelaturae Cujabaensi, ut infra, respective erigendis, quae a praefata Praelatura Gojasiensi per terminos inter Audientiam, vulgò *Ovoidoria*, Cujabaensem, & duas alias Gojasiensem, & Sancti Pauli constitutos separata remaneat, respective assignamus.

Nova erectio duorum Episcopatum, & Ecclesiarum Cathedralium.

Illisque sic divisus, & assignatis in earum secundam Civitatem Sancti Pauli cum suo in unum Sancti Pauli, & in earum tertiam Civitatem Mariannensem cum suo respective territoriis praefatis in alterum Episcopatus Mariannensem respective nuncupandos, ac in praefata Civitate Sancti Pauli Parochialem Ecclesiam eiusdem Sancti Pauli in Cathedralium Ecclesiam sub Invocatione Assumptionis Beatae Mariae, & Sancti Pauli, pro uno Sancti Pauli; & in dicta Civitate Mariannensi Parochialem Ecclesiam Beatae Mariae de Carmelo nuncupata, relicta denominatione huiusmodi, in Cathedralium pariter Ecclesiam sub Invocatione eiusdem Assumptionis Sanctissimae Virginis pro altero Episcopis Mariannensi respective nuncupandis, qui illis respective praesint, ac eas ad formam Cathedralium Ecclesiarum redigi respective faciant, nec non in eis Archidiaconatum post Pontificalem majorem, & Archipresbyteratum secundam, & Cantoratum tertiam, & Thesaurarium quartam Dignitates, nec non decem Canonicatus, totidemque Praebendas, inter quas Theologalis, & Penitentiaria nuncupata Praebenda respective existant, cum opportuno, & competenti Cappellano, aliorumque Ministrorum numero, quas, & quos in unaquaque earum praefatus Joannes Rex ex suis regis redditibus congrue respective fundare destinat; nec non in eis, & dictis Civitatibus Sancti Pauli, & Mariannensi, & earumdem Ecclesiarum Diocesis alia Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, quae inibi divino cultui, & dictarum Ecclesiarum servitio, & Ecclesiastici Cleri decori sibi respective videbuntur convenire, de praefati Joannis, & pro tempore existentis Portugalliae, & Algarbiorum Regis consilio, & assensu, ac pravia earum, & eorum congrua respective dotatione, quamprimum fieri poterit, respective erigant, & instituunt; nec non Episcopalem jurisdictionem, autoritatem, & potestatem exercere, omniaque, & singula, quae Ordinis, quaeque jurisdictionis, & cujlibet alterius muneris Episcopalis sunt, & quae alii tam in Portugalliae, & Algarbiorum Regnis, & Dominis, quam alibi ubicumque constituti Episcopi in suis Ecclesiis, Civitatibus, & Diocesis de jure, vel consuetudine, aut alias quomodolibet ex privi-

legiis, gratis, & Indultis, ac dispensationibus Apostolicis, quaecumque fuerint, etiam per litteras Apostolicas eis desuper nominatim, & in specie concessas autoritate, & facultate suffulti, facere, & quibus uti solent, & possunt, pariformiter aequè principaliter, & absque ulla profusa differentia, perinde ac si sibi quoque nominatim, & in specie concessa, & expressa respective fuissent, etiam si talia sint, quae specialem notam, & mentionem requirant, & sub generali concessione non veniant, in suis respective Diocesis Sancti Pauli, & Mariannensi facere, gerere, & exercere liberè, & licite possint, & debeant; ac pro tempore existentis Archiepiscopo Sancti Salvatoris jure Metropolitico, prout ante divisionem, & assignationem praefatas Diocesis praefata Fluminis Januarii existerat, respective subsint, cum Sede, Mensa, aliisque Insigniis Episcopalibus, nec non praeminentiis, honoribus, privilegiis, immunitatibus, & gratiis spiritualibus, & temporalibus, personalibus, reallibus, & mixtis, quibus caetera Cathedrales Ecclesiae Regnorum, & Dominiorum praefatorum similiter de jure, vel consuetudine, aut speciali privilegio, seu Indulto Apostolico, vel alias quomodolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, de simili potestatis plenitudine, Apostolica autoritate praefata perpetuo respective erigimus, & instituimus.

Ac eisdem sic respective erectis Ecclesiis Sancti Pauli videlicet, Civitatem Sancti Pauli pro Civitate, & alia Oppida, Castra, Villas, & Territoria quocumque nomine nuncupata, quae in secundam parte divisam praefatam, & eidem Episcopatu Sancti Pauli assignatam, ut praefertur, continentur, pro Diocesi; Mariannensi verò Civitatem Mariannensem pro Civitate, & alia Oppida, Castra, Villas, & Territoria quocumque nomine pariter nuncupata, quae in tertiam parte divisam praefatam, & eidem Episcopatu Mariannensi assignatam, ut praefertur, continentur, pro Diocesi; nec non Ecclesiasticas pro respective Clero, & saeculares personas in Civitatibus, & Diocesis huiusmodi pro tempore respective degentes pro respective Populo, de potestate, & autoritate similibus etiam perpetuo concedimus, & assignamus.

Ac Civitatem, Clerum, & Populum Sancti Pauli Episcopo Sancti Pauli; Civitatem verò, Clerum, & Populum Mariannensem Episcopo Mariannensi quoad Episcopalem Ordinariam, & Archiepiscopo Sancti Salvatoris pro tempore existentis praefato quoad Metropolitica jurisdictionem, & superioritatem de potestatis plenitudine pari etiam perpetuo subijcimus.

Nec non Sancti Pauli, & Mariannensi Mensis Episcopalis huiusmodi pro earum respective dote redditus annuos quingentorum septuaginta unius ducatorum auri de Camera per ipsum Joannem Regem assignandos, quam quidem summam idem Joannes Rex de suis, & pro tempore existentium Portugalliae, & Algarbiorum Regum, huiusmodi bonis gratiosè, & irrevocabiliter ad hunc effectum donavit, & obtulit, ac solvere quotannis promisit, seu promittit, ex tunc, prout ex ea die, & ex nunc, postquam assignati fuerint, ut praefertur, similiter perpetuo applicamus, & appropriamus.

Et insuper Joanni Regi, & pro tempore existentibus Portugalliae, & Algarbiorum Regibus praefatis Juspatronatus, & praesentandi personas idoneas ad dictas Ecclesias Sancti Pauli, & Mariannensem videlicet Nobis, & pro tempore existentis Romano Pontifici infra annum, ob locorum distantiam, tam hac prima vice, quam quoties illas deinceps quovis modo etiam apud Sedem Apostolicam vacare contigerit, per Nos, & pro tempore existentem Romanum

Assignatio Civitatis & Diocesis.

Subjectio Cleri & Populi.

Applicatio reddituum.

Juspatronatus favore dicti Regis.

Pontifi-

Pontificem præfatum in Sancti Pauli, & in Mariannensis Ecclesiarum hujusmodi respectivè Episcopos, & Pastores ad Præsentationem præfatum, & non alias respectivè præficiendas: Ad majorem verò post Pontificalem, ac alias Dignitates, Canonicatus, & Præbendas, nec non Beneficia, ut præfertur, respectivè erigenda, cum de Joannis Regis, & pro tempore existentium Regum præfatorum pariter bonis dotata fuerint, tam ab eorum primæva erectione, quàm ex tunc deinceps, quoties illa, quibusvis modis, & ex quorumcumque personis etiam apud Sedem eandem vacare contigerit, Episcopo Sancti Pauli, & Episcopo Mariannensi pro tempore respectivè existentibus infra terminum a jure præfixum similiter per eos ad Præsentationem præfati Joannis Regis, & pro tempore existentium Regum Portugallia, & Algarbiorum Regum in ipsis Dignitatibus, & Præbendis, ac Beneficiis institutas, eadem auctoritate etiam perpetuò reservamus; & concedimus; Decernentes Juspatronatus, & præsentandi hujusmodi Joanni, & pro tempore existentibus Regibus præfatis ex meritis fundationibus, & dotationibus competere; illique etiam per Sedem eandem, etiam consistorialiter, quæcumque ratione derogari non posse, nec derogatum censei, nisi ipse Joannis, & pro tempore existentium Regum præfatorum ad id expressus accedat assensus; & si aliter quovis modo derogetur, derogationes hujusmodi cum inde secutus nullius roboris, efficaciz, & momenti fore.

Ereccio di-
starum dua-
rum Præla-
tarum.

Quartam verò, & quintam partes divisas præfatas, & ut præfertur, Prælaturis Gojasiensis, & Cujabaensis, & ut infra erigendis respectivè assignatas cum illarum respectivè Territoriis, Oppidis, Villis, Locis, nec non Clero, Populo, & personis, ac Monasteriis, Ecclesiis, Collegiis, & piis Locis, ac Beneficiis Ecclesiasticis secularibus, & quorumvis Ordinum regularibus ab omni jurisdictione, subjectione, superioritate, correctione, vilitatione, & potestate pro tempore existentis Episcopi Fluminis Januarii, ejusque Vicariorum, & Officialium, ac solutione quorumcumque jurium eidem Episcopo, & dilectis Filiis Capitulo Ecclesie Fluminis Januarii per Clerum, Populum, ac personas Territoriorum Gojasiensis, & Cujabaensis hujusmodi ratione subjectionis, superioritatis, jurisdictionis, aut vilitationis etiam Diocesis respectivè faciendâ, ita quod de cætero præfatus Episcopus Fluminis Januarii aliquam jurisdictionem spirituales in Oppida, Terminos, Villas, & Loca, ac Clerum, Populum, personas, Monasteria, Ecclesias, & Loca pia, nec non Beneficia Ecclesiastica in quartâ, & quintâ partibus divisis, & assignatis præfatis respectivè existentia exercere, nec eadem Beneficia, quæ antea ad ipsius collationem, provisionem, institutionem, vel quamlibet aliam dispositionem pertinebant, conferre, seu de illis etiam providere, aut alias disponere, vel fructus, redditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta per eum in quartâ, & quintâ partibus divisis, & assignatis præfatis, illarumque respectivè terminis, Territoriis, Oppidis, Villis, & Locis præfatis percipi solita de cætero percipere nullatenus possit, dicta auctoritate, ac de potestatis plenitudine pari etiam perpetuò eximimus, & totaliter liberamus.

Qualitates
& jurisdic-
tio Prælatorum.

Illasque sic exemptas, & totaliter liberatas, quartam videlicet in unam Gojasiensem pro uno Gojasiensi, & quintam in alteram Prælaturas nullius Diocesis Cujabaensem nuncupandas pro altero Presbytero secularibus, vel cujusvis Ordinis Regularibus Prælatis Cujabaensi nuncupandis in Theologiam, seu Decretis graduatis, vel alias prævio examine, seu judicio Ordinarii sui, seu Ordinarii loci, in quo ipsos respectivè exi-

tere pro tempore contigerit, habilibus, & idoneis ad alios docendum approbatis, ac per ipsum Joannem, & pro tempore existentem Portugallia, & Algarbiorum Regem perpetuis futuris temporibus etiam hac primâ vice liberè, nullius ad hoc requisito consensu, etiam ad tempus sibi benevisum deputandis, & constituendis, qui deputationum, & constitutionum hujusmodi vigore absque aliâ Romani Pontificis, seu præfati Archiepiscopi Sancti Salvatoris, aut cujusvis alterius approbatione, confirmatione, licentiâ, vel consensu, curam, regimen, & administrationem Gojasiensis, & Cujabaensis Territoriorum præfatorum, ac Cleri, & Populi tam Christiani, quàm Gentilis, nec non Oppidorum, Terrarum, & Locorum in eorundem Territoriorum limitibus, terminis, & locis præfatis respectivè consistentium respectivè habere, & inibi respectivè prædicare, & prædicari facere, Gentileque præfatos ad Orthodoxæ Fidei cultum convertere procurare, & conversis in eadem Fide ministrare, & confirmare, atque Baptismi gratiam, & Confirmationis Sacramentum impendere, & tam illis sic conversis, quàm omnibus aliis Fidelibus in Territoriis hujusmodi, eorumque respectivè Oppidis, Terris, Villis, Locis, & limitibus præfatis pro tempore degentibus, & ad ea declinantibus Sacramenta Ecclesiastica, & alia spiritualia munera, non tamen ea, quæ sunt Ordinis, ministrare, & administrari etiam facere, & procurare.

Ac quæcumque Beneficia Ecclesiastica in quartâ, & quintâ partibus divisis, assignatis, exemptis, & liberatis præfatis respectivè existentia, & quæ antea ad ipsius Episcopi Fluminis Januarii collationem, provisionem, institutionem, seu quamvis aliam dispositionem pertinebant, respectivè conferre, & de illis disponere, ac in eis instituere; Calices, Campanas, Vestimenta, Corporalia, & alia Paramenta, & ornamenta consecrare, & benedicere, Ecclesias, Cœmeteria, & Loca Ecclesiastica sanguinis, vel feminis effusione, seu aliâs quomodolibet polluta, seu profanata, aquâ per ipsos benedictâ reconciliare, ipsasque Ecclesias, & Loca sub Territoriis Gojasiensi, & Cujabaensi præfatis comprehensa, & illorum Personas respectivè visitare, ac in illorum statum, regimen, statuta, consuetudines, vitam, mores, ritus, delicta, & disciplinam tam in capite, quàm in membris inquirere, nec non Evangelicæ, & Apostolicæ doctrinæ, sacrorumque Canonum, & generalium Conciliorum Decretis, & Institutis inhærendo, ubi ea quæcumque mutatione, correctione, emendatione, punitione, revocatione, ac etiam ex integro editione indigere cognoverint, respectivè reformare, mutare, corrigere, punire, ac etiam de novo condere.

Nec non Beneficiales, Matrimonialesque, & quæcumque alias causas Ecclesiasticas, & civiles ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes motas, & inchoatas, ac interim movendas, cum earum incidentibus, emergentibus, annexis, & connexis audire, decidere, & prout juris fuerit, terminare, seu causas ipsas alii, vel aliis idoneis, modo, & formâ præfatis cum simili, vel limitatâ potestate pariter audiendas, & terminandas delegare.

Ac denique plenam, meram, & omnimodam spirituales, & Ecclesiasticam, ac Ordinariam Jurisdictionem tam in foro interiori, quàm in exteriori, non tamen in his, quæ sunt Ordinis, ut præfertur, habere, & eam, ac omnia, & singula alia, quæ pro tempore existens Episcopus Fluminis Januarii in Territoriis hujusmodi hæcenus habere, gerere, & exercere debuit, potuit, & consuevit, similiter, & pariformiter, nullaque prorsus differentiâ, exceptis tamen

is, quæ, ut præfertur, sunt Ordinis, prout Divini cultus augmento, ac ipsorum respectivè Cleri, & Populi animarum salutis expedire cognoverint, respectivè gerere, facere, & exequi; ac pro eorum decenti habitu Subtanam cum Mantelleâ nigri coloris deferre, & gestare liberè, & licitè respectivè possint, & valeant; cum omnibus, & singulis aliis privilegiis, facultatibus, exemptionibus, libertatibus, jurisdictionibus, præminentis, favoribus, gratiis, & indultis, quibus pro tempore existens Vicarius, & Administrator in spiritualibus Provinciæ, seu Districtus Insula de Moçambique similiter Ordinariam, ut præfertur, Jurisdictionem inibi habens, utitur, potitur, & gaudet, ac uti, potiri, & gaudere potest, & poterit quomodolibet in futurum; assignatâ per dictum Joannem Regem annuâ summâ biscentum vigintiocto ducatorum auri de Camerâ, & juliorum decem moneta Romana ex Arario Regio cuiuslibet Prælatorum hujusmodi pro tempore existenti pro congruâ ipsorum sustentatione respectivè persolvendâ, de potestatis plenitudine pari similiter perpetuò erigimus, & institimus.

Clausula.

Decernentes præsentis, & desuper faciendas literas Apostolicas semper, & perpetuò validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite, vel quâlibet causâ quantumvis legitimâ, & juridicâ, etiam ex eo quod Sedes Episcopalis Fluminis Januarii ad præsens vacet, & proprio Pastore, & Defensore desituta existat, ipsiusque Capitulum, & Canonici, seu quicumque alii cujuscumque Dignitatis, gradus, conditionis, & præminentis in præmissis, & circa eo quomodolibet, & ex quâvis causâ, ratione, & actione, vel occasione jus, vel interesse habentes, aut habere prætendentes illis non consenserint, aut ad id vocati, & auditi, & causæ, propter quas eadem præsentis emanaverint, adductæ, verificatæ, & justificatæ non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vicio, seu intentionis nostræ, aut jus, vel interesse habentium consensus, aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, & inexcogitabili, ac specificam, & individua mentionem, & expressionem requirente defectu, sive etiam ex eo quod in præmissis, eorumve aliquo solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda servata, & adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a jure, vel factò, aut statuto, vel consuetudine aliquâ resultantem, seu etiam enormis, enormissimæ, totalisque læsionis, aut quocumque alio colore, prætextu, ratione, vel causâ etiam in corpore juris clausâ, occasione, aliâve causâ, etiam quantumvis justâ, rationabili, legitimâ, juridicâ, piâ, privilegiatâ, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, aut quòd de voluntate nostrâ, & aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperiitionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet etiam Motu simili, concessio, aut impetrato, vel emanato uti, seu se juvare in judicio, vel extra posse, neque ipsas præsentis, & desuper faciendas literas Apostolicas sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus etiam per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, & Se-

dem Apostolicam præfatam etiam Motu simili, etiam consistorialiter, ex quibuscumque causis, & sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam si in eis de eisdem præsentibus, earumque toto tenore, ac datâ specialis mentio fiat, pro tempore factis, & concessis, ac faciendis, & concedendis comprehendit, sed tamquam ad Fidei Catholicæ propagationem, & spirituales animarum profectum tendentes semper, & omnino ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam sub quâcumque posteriori datâ quodcumque eligendâ concessas esse, & fore.

Sicque, & non alias in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere-Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, ac alios quocumque, quâvis auctoritate, potestate, prærogativâ, & privilegio, ac honore, & præminentia fulgentes, sublata eis, & eorum cuiuslibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate in quocumque judicio, & in quâcumque instantia judicari, & definiti debere, & si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

Non obstantibus Lateranensis Concilii ab Ecclesiis membra distingui, & dividi prohibentis, ac nostris, & Cancellariæ Apostolicæ regulis de jure quæsito non tollendo, & dimemorationibus committendis, aliisque in contrarium præmissorum quomodolibet editis, vel edendis, etiam in Synodibus, Provincialibus, Universalibusque Conciliis, specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, dictæque Ecclesiæ Fluminis Januarii etiam juramento roboratis statutis, ac fundatione, erectione, & institutione, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis eidem Ecclesiæ Fluminis Januarii, illiusque Præsuli pro tempore existenti, Capitulo, & Canonici, ac quibusvis aliis personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie etiam Motu simili, ac etiam consistorialiter, vel aliâ in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua mentio faciendâ, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores eisdem præsentibus, perinde ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, hic inserti forent, pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanentis, ad præmissorum omnium validissimum effectum hac vice dumtaxat latissimè, & plenissimè, ac sufficienter, nec non specialiter, & expressè motu simili derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Fiat Motu proprio P.

ET de divisione, assignatione, erectione, institutione, subjectione, applicatione, appropriatione, reservatione, concessione, decreto, exemptione, liberatione, derogatione, aliisque præmissis, ut supra, in literis latissimè extendendis, & quod præmissorum omnium, & singulorum, etiam denominationum, qualitatium, nuncupationum, invocationum, aliorum-

Aliter judicari prohibetur.

Derogatio contrariis.

que

Decreta
Pontif.

que necessarium major, & verior specificatio, & expressio fieri possit in literis cum clausula perpetua, & ad perpetuam rei memoriam separatum, & quoad Prælaturas præfatas per Breve Nostrium, seu Officium minoris gratiæ etiam separatim expediendas. Volumus autem, ac statuimus, & ordinamus, quod respectivè Clerus, & Populus, aliique Incolæ, & Habitatores sub Prælaturis Gojasienfi, & Cujabaenfi præfentes erectis hujusmodi comprehensi in his, quæ sunt Ordinis ad præfatum Archiepiscopum Sancti Salvatoris, habitis tamen a suis respectivè Prælatibus Gojasienfi, & Cujabaenfi hujusmodi ad id literis dimissorialibus, recurrere teneantur: Quodque Prælati Gojasienfis, & Cujabaenfi præfati ratione personarum suarum dumtaxat visitationi, correctioni, & superioriati, ac jurisdictioni præfati Archiepiscopi Sancti Salvatoris pro tempore existentis subsint, & a sententiis definitivis tantum, seu vim definitivarum habentibus, & quarum gravamen per appellationem a definitivâ reparari nequeat nequeat per ipsos Prælatos, aut eorum Officiales, pro tempore latis, appellationes ad eundem Archiepiscopum Sancti Salvatoris pro tempore existentem interponi, ipsarumque appellationum causas per eum cognosci, decidi, & sine debito, prout juris fuerit, terminari possint. Præterea etiam volumus, quod taxa præfata Ecclesiæ Fluminis Januarii, quæ in libris Camera nostræ Apostolicæ in florenis centum sexdecim cum duobus tertiis descripta existit, fixa, & firma remaneat; quodque taxa tam Ecclesiæ Sancti Pauli, quam Ecclesiæ Mariannensis erectarum hujusmodi unaqueque in similibus florenis centum sexdecim cum duobus tertiis in eisdem libris describatur.

Fiat P.

Dat. Pont.
An. VI. die
6. Decem-
bris 1746.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majori-
rem VIII. Idus Decembris Anno Sexto.

XXIII.

Indulgentiæ tam docentibus, & addiscentibus
Methodum Orationis mentalis, quam ipsam
Orationem mentalem peragentibus concessæ.

*Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus,
Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, &
Præsulibus locorum Ordinariis universis gratiam,
& communionem Sedis Apostolicæ habentibus.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

*Venerabiles Fratres, salutem, & Apostolicam
Benedictionem.*

Exordium
ab Excellen-
tia Oratio-
nis.

QUEMADMODUM nihil est hominibus a fami-
liari Dei consortio, & consuetudine avul-
sulis, & ejectis, ad divinos hauriendos fulgo-
res, ad æternam salutem procurandam, & ad
Deum quasi manu facta coeundum, magis op-
portunum, salutare, ac necessarium Oratione,
quæ est veluti ascensio animæ de terrestribus ad
coelestia, inquisitio supernorum, invisibilium de-
siderium, conjunctio Spiritui Sancto, & ad
Deum locutio, ita, ne desolatione desoleatur
universa terra ex eo, quod nullus recogitet
corde, omnes & singuli ubique, & semper sa-
lutaribus præceptis monendi sunt, quod oportet
semper orare, & nunquam deficere: ut in
omni oratione, & obsecratione, cum gratia-
rum actione, petitionibus nostris innotescen-
tibus apud Deum, ipse, qui dives est in omnes
cum invocantes, nec nostras abs se deprecato-
nes, nec suas a Nobis amoveat miseratio-
nes. Eapropter Prædecessores nostri Romani
Pontifices divina institutione formati, ut Chri-
stifideles ad orationis, sive Vocalis, sive Men-

talis, ut dicitur, illa sit, studium cum alacri-
tate ineundum, & sine intermissione frequen-
tandum incitarent, eosdem tum cohortationi-
bus inflammare, tum coelestium etiam munerum
thesauris, quorum dispensationem ipsis credi-
derat Altissimus, allicere studuerunt. Indul-
gentias enim, peccatorum remissiones, & de
injunctis eis quomodolibet debitis penitentis
relaxationes elargiti sunt iis, qui sive vocales
preces recitarent, sive per aliquod temporis
spatium quotidie in lege Domini meditentur.
Nos autem laudatissimis eorumdem Prædecesso-
rum Nostrorum exemplis incensi, non solum
omnes & singulas indulgentias, peccatorum
remissiones, & penitentiarum relaxationes per
eosdem Nostros Prædecessores pro recitantibus
quascumque vocales preces (dummodo nunquam
revocata fuerint) aut quomodolibet orantibus,
quocumque modo sive ad tempus, sive in per-
petuum ad hanc usque diem concessas, Aposto-
lica auctoritate, tenore præsentium, sub iisdem
prorsus modo, ac forma confirmamus, &
quatenus opus sit, de novo concedimus; verum
etiam alias insuper iis præsertim, qui mentalis
orationis, seu meditationis studio operam
dederint, ut infra, impertimur. Primum itaque
omnibus & singulis, sive qui tam in Eccle-
siis, quam alibi, & ubicumque locorum publicè,
& privatè quoscumque homines orandi,
seu meditandi rudes quomodocumque orare,
& meditari docuerint, sive qui piæ orandi,
& meditandi institutioni hujusmodi, ut præmittitur,
interfuerint, dummodo vere penitentes, ac
Sacra Communione refecti, qua vice id egerint,
septem annos, & totidem quadragenas de
injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis
penitentis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.
Iis vero tam docentibus, quam addiscentibus,
qui assidue præmissa peregerint, ac similiter
vere penitentes, ac Sacra Communione refecti,
pro Christianorum Principum concordia, hæresum
extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ
exaltatione piæ ad Deum preces effuderint,
semel in mense pro uniuscujusque commodo,
& arbitrio, plenariam omnium peccatorum suorum
indulgentiam, & remissionem, quam per
modum suffragii animabus Christianifidelium, quæ
Deo in caritate conjunctæ ab hac luce migraverint,
applicare possint, misericorditer in Domino
concedimus. Insuper iis, qui per duos
quadrantes continuatos, vel saltem per
quadrantem horæ singulis diebus, & per totum
mensem, orationi mentali dabunt operam, &
vere penitentes, & confessi, Sanctissimum
Eucharistiæ Sacramentum sumserint, ac pro
Christianorum Principum concordia, hæresum
extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione
piæ ad Deum preces pariter effuderint, plenariam
semel quolibet mense omnium peccatorum
suorum indulgentiam, & remissionem,
quam itidem per modum suffragii animabus
Christianifidelium, quæ Deo in caritate conjunctæ
ab hac luce migraverint, applicare possint,
auctoritate & tenore similibus misericorditer
in Domino elargimur. Etsi autem, juxta
divinum Domini Nostri Jesu Christi præceptum,
oportet ut quisquis oraturus, ne ad instar
Hypocritarum videatur ab hominibus, intret
cubiculum suum, & clauso ostio oret Coelestem
Patrem in abscondito: tamen, cum ipse Dominus
dixerit, quod ubi sunt duo, vel tres congregati
in nomine meo, ibi sum in medio eorum, &
Sanctus Joannes Chrysostomus prædicet, esse in
oratione cum fratribus plus aliquid, videlicet
concordiam, conspirationem, amoris conjunctionem,
& caritatis clamorem felici societate,
ex qua orationes infirmiores se simul complexas,
validiores in Cælum evahi: optimum esset,
ubi commode fieri posset, ut, quemadmodum

Pontifex
confirmat
Indulgentias
concessas vo-
caliter oran-
tibus.

Iis vero, qui
Orationis
Mentalis ex-
ercitium do-
cent, conce-
dit novas In-
dulgentias.

Illam quo-
que pera-
gentibus a-
lias elargitur
Indulgen-
tias.

Adhærtatio
pro exercitio
Orationis in
communi.